

Kreis
Varendorf
S. 121

1261 Juni 30. Münster.

Edelherr Hermann von Holte und sein Sohn Ludwig belehnen ihre Tochter bez. Schwestern Jutta, deren Schwiegervater Ritter Hermann von Langen und Gatten Hermann mit der Hofsättte der ehemaligen Burg zu Holte und der zugehörigen Vogtei über die St. Johannis Kirche zu Osnabrück pfandweise.

Universis, ad quos presens scriptum pervenerit, innotescat, quod nos Hermannus nobilis vir de Holthe et Ludewicus natus ipsius accedente uxoris mee (aus mei fortigiert), id est Hermanni prefati, pleno consensu infeodavimus iusto feodi titulo Juttam, filiam mei Hermanni eiusdem, Hermannum de Langhen militem neconon et Hermannum eius filium, eiusdem Jutta maritum, area quondam castri in Holthe, quam vulgariter *hovestath* dicimus, et universis eius attinencie, videlicet terris, lignis, nemoribus, pratis, pascuis, piscariis neconon advocacia ecclesie beati Johannis in Osenbrughe pignori obligata,

item vassallis, ministerialibus et litonibus sive mancipiis ac bonis in feodum datis sive porrectis et solutis, si qua sint, et bonis aliis pignori obligatis neconon quibuscumque aliis ad dictam aream pertinentibus, in quoquunque sunt genere, in quibus nobis ius competebat vel competere poterat quoquomodo. Insuper omnes actiones, si que contra aliquos vel aliquem occasione premissorum vel alicuius ex ipsis nobis aliqualiter competit vel possunt competit, ipsis cessione cedimus integrali. Attamen supradictis tale pactum extitit interiectum, videlicet quod omnia supradicta ad nos, si prefatis Hermanno de Langhen et eius filio ducentas marcas infra annum dederimus, libera et soluta iure nostro redibunt. Si vero me sepefatum Hermannum absque aliis, quam quos modo habeo, pueris decedere et Ludewicum predictum meum filium clericum manere contigerit¹⁾, quicquid mihi in omnibus supradictis supererit, hoc totum inter meas filias Gertrudem et Juttam devolvetur equaliter dividendum. Ut autem hec rata permaneant, ego prefatus Hermannus de Holthe fide prestita firmiter promisi et hos fideiussores statui: Hermannum Nove ecclesie, Wicboldum sancti Mauriti prepositos, Wilhelnum Rudhenn et Hermannum de Harstorpe, qui me predicta servaturum fide data similiter promiserunt. Actum Monasterii anno Domini M⁰CC⁰LX⁰ primo, pridie Kalendas Julii, hiis presentibus: fratre Wicboldo quondam domino de Holthe; Gerhardo de Lon, Gerhardo de Monasterio, canoniciis Monasteriensibus; Godefrido de Gheme, Hermanno de Monasterio, Bitthero de Rethe, Johanne de Langhen et filio suo Rodolfo, Lutberto de Langhen, Rodolfo de Menhûvele, Ludolfo et filio suo de Gronenberghe, Hinrico Screttere, Thiderico de Bramborn, Wezelo de Quernhem, Conrado dicto Ganz et aliis quampluribus fide dignis.

Orig. Nr. 1. Siegel Hermanns: drei (2:1) hängende Adlerflügel. — Mangelhaft manl. nach Mhd. schwert in Osnabrück 1966